


1711.

1. Beckius, Caspar Schabius: De perjurii & occasione praescindenda.
2. Boye, Iac. Ludos: De legibus cibariorum et vestiariorum Pythagorae carmenque causis
3. Braun, Matthias Nicolaus: De constitutionibus prisi cipum emperiorum Digestorum Landerbactriani
4. Brucknerus, Gust. Hieron: De nullitate processus sanabilis et insensibili.
- 5<sup>a</sup>, 6<sup>a</sup> Brucknerus, Gust. Hieron. Hierosaginus: De apertura testamentorum. 3 Baupt. 1711, 1739, 1740
- 6<sup>a</sup>-t Frieser, Ioh. Burkardus: De jure fortium. 2 Baupt. 1711  
2 1745
7. Frieser, Ioh. Burkardus: De iusticis & responsabilibus
8. Frieser, Ioh. Burkardus: De jure semi-testarum.
- 9<sup>a</sup>-b Frieser, Ioh. Burkard: De jure principis circa bona subditorum. 2 Baupt. 1711. 1745.
10. Frieser, Ioh. Burkard: De vera sponsalium & presenti et nuptiarum differentia.

1711.

11. Friesen, Th. Bernh.: *De fendi in allobrium praecorpi*.  
Stone.
12. Friesen, Th. Bernhardi: *De acquisitione per tradit.*  
Stone.
13. Friesen, Th. Bernhardi: *De appellationibus praepri-  
mis socris.*
14. Gerhardus, Sphrenius: *De ratiocinatione. Lectorum*
15. Gerhardus, Sphrenius: *De crimine Enociani.*
16. Lehmann, Th. Tac.: *De mutatione studiorum.*  
S. 3., cui . . . ajeclae et dissertatione: *Reco, quod  
instrument circa non tales. 1715.*





xxxii 40.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA  
DE  
**NVLLITATE PROCES-**  
**SVS SANABILI ET INSA-**  
**NABILI,**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO

**DN. GVIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIE, IVLÆ, CLIVIAE, MONTIVM

ANGARÆ & WESTPHALIAE & reliq.

EX DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS HVIVS

JENENSIS FACVLTATIS JVRIDICÆ  
P R A E S I D E

**GVIL. HIERON. BRUCKNERO** ICTO  
CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM PROFESSORE PUBLI-  
CO, CVRIÆ PROVINCIALIS, FACVLTATIS JVRIDICÆ  
ET SCABINATVS ASSESSORE,

**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN VTROQUE JVRE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

IN AVDITORIO JVRIDICO

horis ante & post meridiem consuetis Eruditorum disquisitioni submittit  
Die Martii MDCC XI.


**JOHANN. HENRICVS Hartleb/**  
Utleb. Advocat. Reg. Elric. ord.

---

IENAE LITERIS MULLERIANIS.

DIE SECTATE SACCATE VIR TU DICE  
NATURATE PROCES  
SANBERI TU LY  
JABILLE  
MAY  
RECOGENACHENSUMO  
SEREVERE RUYE RUYE TU DOWM  
DE GATELWO HENRICO  
DACE SAXONARE IURE CHATE, MONTIA  
VING KREKE WESTE RE AU TU RUYE  
EX DECRITO TE AVCOTATE TU AUTU RUYE  
LENENSI SACATE VIR DICE  
PRESIDE  
GAUN IUERO BRACKENFRO IO  
CONSETTERO SAXONICO BRACKENFRO LURE  
COLCARYI TROVE MCHYR ESCATE VIR DICE  
ET SCEPMTAS VESSESOE  
RRO TICENTA  
SUMMOS IN AUTOODE IURE NONDE TU PRAYE  
GE DECTOGRAMA RITE CAPESENDI  
IN AVDOTO RUYE DICE  
DIS, WHEN MDCC XL  
JOHANN HENRICS MULLER  
JULEEP. AUYOCER. REg. EHIC. org

LENNUTTER MULLER



1. N. J.

## PRÆFATIO.



Oalent, qui pro dignitate Doctorali disputant, materias eligere rariores maxime ex Jure Justinianeo depromptas, eam ob causam forte moti, aut quod in his duntaxat concertatione digna reperire credant, quæ à fori strepitum remota sunt, quasi hæc ad contemplationem proprius reducantur, aut Justiniano vel Triboniano tanquam gleba adeo adscriptisint, ut ipsis arrideat nihil, nisi quod ex eorum compilationibus processerit. Sed minus rectè. Forensia enim per innumeras circumstantiarum mutationes & majori ingeniorum nisi ita agitantur, ut ideo quotidie novas in iis difficultates, dissensionumque contentiones suboriri videas. Affirmat Actor, negat

A 2

pars

pars adversa, hæsitat interdum judex & decisio-  
 nem unde petat non habet. Hinc multa rerum  
 argumenta ad Principis devolvuntur scrinia, du-  
 biorumque casum resolutiones inde expectantur.  
 Exempla sifunt Decisiones Electorales Novissimæ  
 anno 1668. editæ, & nemo nisi à foro & rebus vi-  
 cinis alienus ignorat, quid decidendorum casuum  
 adhuc dubiorum ratione Status Provinciales jam-  
 jam Dresdenæ convocati meditantur. Habent  
 J.Cti adhuc plura, quibus in foro vires & inge-  
 nium exercere queant. Argumentum disputa-  
 tione haud indignum sifit Recessus Imperii novissimus, ubi inter Nullitatem Sanabilem & Insana-  
 bilem distinguit, & certos cūque effectus asfi-  
 gnat. Quousque autem in ipsa Imperii praxi aut  
 foro Saxonico locum hæc doctrina inveniat, non a-  
 deo expeditum est. Perdant operam & oleum alii  
 in evolvendis jurium Romanorum apicibus & so-  
 lennitatibus, per me licet. Ego materiam Nulli-  
 tatum Sanabilem & Insanabilem ex utilitate &  
 usu, quem in ipsis rerum argumentis obtinet, asfi-  
 gnaverim. Hinc loco inauguralis, ut vocant,  
 speciminis tibi hoc L.B. argumentum non vulgare  
 & in scholis detritum sed rarissimum offero, du-  
 plici in primis ratione motus, parvum, quia J.Cti  
 bo-

bodierni Juris Romani & Pontificii cognitione  
haud contenti esse, sed quid in Jure statutario,  
Provinciali & Municipali obtineat, scrutari &  
rimari solent, ne ob ignorantiam juris quotidiani  
notam turpitudinis incurant, partim quod Do-  
ctores nobilissimam hanc Nullitatum Sanabili-  
tum & Insanabilium materiam sparsim sine ordine  
tradiderint, simul ac per eam, quid intellectum  
velint, non satis ubique explicaverint. Accipe  
itaque L. B. hanc tractationem, & conatum &  
qui bonique consule. Interim, quo ingressus hu-  
jus speciminis felix, progressus felicior, egressus  
felicissimus evadat, calidissimis Spiritus Sancti  
auxilium precibus implorando rem ipsam aggre-  
dior.

**E**A mortalium conditio & perversitas est, ut, sem-  
per in ea ferantur, quibus & sibi & aliis nocent.  
Hinc eorum natura leges, regulas & alias coerci-  
tiones postulat Magnif. Buddæus in Element. Philosoph.  
præct. p. 2. c. 3. §. 1. Nec sufficit Juris hominum in cor-  
dibus inscripti generalitas Strav. Syntagma Jur. Civ.  
Exere. 1. th. 2. sed necesse est, ut pro Reipublicæ Statu,  
actionibus Civium singularibus Leges præscribantur,  
quibus non observatis, actus pro eorum qualitate, vel  
nulli dicuntur vel poenam merentur.

Unde patet, Legibus ortum suum debere Nullitatem; ex quo enim Civitates conditae Magistratusque creari coeperunt, ad nocendi facultatem reprimendam Leges, ut Vantius ait, in medio positæ sunt, negotiis peragendis certas formas inducentes, ad quas probe observandas cives adstrinxerunt. L. 2. §. 18. C. de Vet. Jur. encl. L. 3. C. de LL. secus si fieret, actus omnes pro infectis, cassis & inutilibus, imo nullius roboris & momenti habere debeant L. 5. C. de LL. L. un. C. qui pro sua jurisd. ibi, omnia, que ab ea delegatione geruntur, ita pro infectis habere preceptimus, ac ipsi, qui delegaverant, aliena Jurisdictionis Judices residissent. ut ne appellandi quidem necessitas vicit, adversus eas sententias imponatur. Hoc teneant &c. & sic cum ipsa Lege orta est Nullitas ejusque querela sive agendo sive excipiendo proponatur arg. L. 6. C. de pnt. Alias enim Lex frustra edita fuisset, & salubri Nullitatis remedio non adinvento unusquisque inauditus, causa haud cognita etiam per Judicem minus competentem rebus ac patrimonio contra omnem equitatem privari potuisset. Vantius de Nullitat. p. m. vii.

Audit itaque non solum miserorum refugium, sed & defensio, remedium & communne auxilium Vant. de Nullitat. Tit. quid sit nullit. n. 7. quod facile nemini denegandum, adeo ut tertiam tertius, pro ea, quod sua interest, de Nullitate queri possit Strauchi. Dissert. Ju. fin. 27. apb. 2. quapropter cum appellatione, supplica-

tione & integrum restitutio[n]e affinitatem quandam  
habere videtur præsens de Nullitate remedium.

## §. IV.

Ne autem manibus illotis quasi ad rem ipsam  
properemus, verborum prius dissertationi nostre præ-  
missorum ratio habenda erit, cum juxta Angeli senten-  
tiam turpe sit prius determinare, quam terminos ex-  
plicare, nec nos eorum moratur opinio, qui, JCtos or-  
peram in explicationem rerum nullam verò aut saltem  
exiguam in enodationem vocabulorum conferre sta-  
tuunt. Dicitur itaque Nullitas à Nullus sicut falsitas à  
falso, veritas à vero, sanitas à fano. Nullus autem deri-  
vatur à non & ullus. Idem verò ullus est ac aliquis,  
quod probat Ulpianus L. i. ff. quod quisqu[is] juri ibi. Et ideo  
si inter eos quis dixerit qui, inter quos iurisdictionem non  
habuit, quoniam pro nullo hoc babetur, nec est ulla senten-  
tia, cessare Edictum putamus. Nec aliter Paulus in E.  
21. §. 3. ff. quod met. caus. ibi : si dos metu promissa sit, non  
puto nasci obligationem, quia est verissimum, nec talem  
promissionem ullam esse. Nullum igitur esse & Nihil  
esse in jure æquipollentia putamus Vant. d. l. n. u.

## §. V.

Moveri hic potest quæstio : An vocabulum Nulla-  
tia in Digestis & Codice occurrat ? quod negatur,  
quia h[ic] terminus apud JCtos recentes technologicus  
est, quo veteres Clasici non utebantur. Strauchi dict. dis-  
sert. Just. apb. 1. Rem ipsam tamen per alia elocuti  
sunt verba, cum actus, qui haut valebant, dicere irrati-  
los, nullos, inanes, inutiles, nullius roboris & momen-  
ti, eos nullas habere vires &c. de quibus omnibus vid.

Vant.

Vant. d.l.n. 12. Aliquoties tamen in libris Juris Canonici præsertim Clementinis ( qui nomen à Clemente V. habent, is tamen ante obitum ne publicentur, prohibuisse fertur, cum multa contra simplicitatem Christianam & libertatem in iis continere creditur, ut Aventin. Anal. Bojor. refert. Gerb. Maastricht Histor. jur. Ecclesiast. n. 371.) hoc Nullitatis vocabulum, pâssim reperitur v. c. cap. un. de Sequest. possess. & fruct. cap. 1. ut calumniis & cap. 2. Pastoralis circa med. um. de Sent. & rejud. donec recentiores illo indifferenter usfuerint.

## §. VI.

Ad cetera in titulo dissertationis nostra vocabula Nullitati adjecta progredimur *Sanabilis* & *Insanabilis*, quid sibi velint, neminem fugit. Notandum tamen, quod hic metaphoricè usurpentur, ut Cicero IV. de finibus dicit : sanare vulnera reipublicæ. Idem V. famil. ibi : Levare dolorem tuum posset, si minus, sanare. Et mentes bonorum sanabiles esse dixit Homerus. Sic ingenium *insanabile* à Seneca dicitur, quod corrigi & sanari non potest. Sed terminis hisce evolvendis non immorabitur, cum mox inferius de iis differendi se offerat occasio.

## §. VII.

Nullitas verò doctrinæ causa dupliciter considerari potest, vel Generaliter, cum omnes actus sive judiciales sive extrajudiciales contra legem suscepti dicantur nulli: & describi potest, quod sit vitium sive defectus rei gestæ ob transgressionem proveniens. Vant. in tit. quid sit nullitas, in pr. seu quod sit negatio actus

actus alienus, sive rei gesta ex legis transgressione orta  
juxta Strauch. *dissert. Just. 27. apb. 1.* Vel *specialiter*,  
cum de Nullitate Processus Sententiae &c. cuique queri  
relictum sit. Quo in sensu nos Nullitatem accipi-  
mus: & describi videtur ex Vantio à Seaccia *de appell.*  
*qu. 19. Remed. 1. concl. 1.* Quod Nullitas sit jus & com-  
mune auxilium ad irritandum sive irritum nuncian-  
dum actum, de quo queritur, competens. Sed hæc  
ipsa descriptio nimiam sapit generalitatem, hinc re-  
stius definitur: Quod Nullitas processus sit defectus in  
processu occurrentis, ob quem per fictionem juris habetur  
actus processualis pro infecto, & consequenter tribui-  
tur lœso jus impugnandi actum illum tanquam infec-  
tum.

## §. VIII.

Definitionem excipit Divisio. Schvendendoerffer-  
rus ad Fibigium Nullitatem duplē statuit, nimirum,  
quod alia sit contra sententiam, alia contra alios actus  
Judiciales. Recessus Imperii novam quasi exhibet di-  
visionem, quando Nullitatem in *Sanabilem & Insana-  
bilem* distinguit. Verba sic sonant. §. 121. In dem auch  
numehr zum zehenden von vielen Jahren her mit vice-  
ller Zeitverlehrung / ohnndthiger Dingen vielfältig di-  
sputiret worden/ ob sententia nulla oder injusta sich erhalte/  
und zwar darum allein/ daß à sententia nulla in dreys-  
sig Jahren die Klage prosequir/ à sententia iniqua aber  
intra decendum appelliret werden kan und soll/ so soll  
zu Verhüthung verglichen unndthigen Gezänks in al-  
len beyden fällen das ist/ à sententia tam nulla, quam  
iniqua, dqs farale interponenda obseruiret / darüber

ol

B

auch

auch hinführō bey unsren Cammer-Gerichte stet · und  
festiglich gehalten werden. §. 122. bey denjenigen Nulli-  
täten aber/welche *insanabilem* defectum aus der Person  
des Richters/oder der Parthey/ oder aus den substantia-  
libus des Processus nach sich ziehen/ verbleibet es bey  
der disposition der Gemeinen Rechte. Ut ita funda-  
mentum legis dispositivæ in hoc ipso textu quærendum  
esse credamus. Non tamen hic excludimus eorum  
opinionem, qui hanc Divisionem apud probatores  
JCTos ante Receßum Imperii in usu fuisse contendunt,  
siquidem nos non latet Vantum & alios ante eum ab  
ipso allegatos nullitatem ex inhabilitate seu defectu  
mandati ortam, insanabilem appellasse. Tit. de Nullit.  
sentent. ex inhabilit. & defect. mand..n. 6r. & tit. de Nul-  
lit. ex defect. Juriad. & unde n. 6. Id saltim innuimus,  
quod per dictum imperii Receſſum hæc divisio auto-  
ritatem publicam acceperit & approbata fuerit.

## §. IX.

Verum enim verò videndum nunc erit, quid sit  
NVLLITAS INSANABILIS, quid SANABILIS. Con-  
traria juxta se posita magis elucent. Hinc facia-  
mus periculum in NVLLITATE INSANABILI, cre-  
dentes quod deinde Judicium de Sanabili quis ferre  
posit. Sane opus difficultatis plenum aggredimur,  
cum in illa determinanda JCTos magni nominis  
fluctuare videamus. Sed pyxide (ut ludunt,  
alii) nautica opus non est. Blum. in proc. Cam.  
tit. 56. n. 2. INSANABILEM NVLLITATEM appel-  
lat, quando ea in prima instantia commissa, in secun-  
da ratificari nequit, & paulo postaddit, id est, quæ nul-

lo

¶ (ii) 50

lo jure à judice ex officio, aut etiam exceptionibus à provocato oppositis adjuvari, & sic quasi sanari seu validari potest. Vel paucis mutatis sic describitur, quod Nullitas Insanabilis sit, quando vel Sententia aut Processus tali vitio laborat visibili, quod neque in prima, neque secunda instantia convalidari & sanari potest.

§. X.

Ex hisce constat vel constare poterit, quænam dicitur NVLLITAS SANABILIS, nimirum quando sententia aut processus tali vitio laborat, quod in prima, vel secunda instantia sanari & convalidari potest, quæ descrip<sup>t</sup>io omnino procedit, cum oppositorum eadem sit scientia, & se mutuo inferant & exponant, si respet<sup>t</sup>ive ut opposita, non absolute, quatenus peculiarem habent Naturam, cognoscuntur.

§. XI.

Res ex sequentibus evadet clarior, cum, unde descendat Nullitas insanabilis paucis evolverimus.

§. XII.

Nullitas Insanabilis oritur vel ex sententia vel ex alia parte Processus, ut ex descriptione supra allata patet Blumius. c. l. n. 2.

§. XIII.

Ex ipsa Sententia exsurgit Nullitas, quæ sanari haud potest, cum i) contra rem secundum leges judicatam, à qua appellatum non est, lata sit L. i. ff. quæ sent. sine appell. cap. 9. X. de Sentent. in tantum, ut nec ullam mereatur executionem nec ullo tempore confirmari atque in rem judicatam transire possit. Mynsinger Decad. 5. Consil. 47. n. ii. habetur enim sententia prior

B 2

pro

pro veritate L. 207. ff. de R. J. & jus plenissimum tribuit  
 quod nec Princeps nec ipse Imperator ut ait Calvol.  
*in pr. jud. §. sentent. definit. concl. i. n. 106.* ex potestate  
 plenaria immutare vel auferre alicui valet. arg. L. 16.  
*C. de transact.* Rectissime Imperator Constantinus  
*in L. 3. C. sentent. rescindi non poss.* rescriptis ad Procu-  
 lum: *Imperrata rescripta non placet admitti, si decisa*  
*semel causa fuerint judiciali sententia, quam provocatio*  
*nulla suspendit, sed eos qui talia rescripta meruerunt, etiam*  
*lumine ( seu Limine ut vulgata Haloandri habet) judi-*  
*ciorum expelli.* Accedit, quod sententiae objectum sit  
 controversia in judicio decidenda. *Zaf. & Dtar. ad L. 1.*  
*ff. de re jud.* ergo non sententia opus erit in causa jam  
 jam decisa. Res manifesta hæc est ex Alexandri Impre-  
 ratoris rescripto (bisse verbis utentis: *Latam sententi- am dicitis, quam ideo vires habere non contenditis, quod conrari res prius judicatas, à quibus provocatum non est, lata sit.* *Cujus rei probationem sic promptam habebitis, et iam citra provocacionis administrulum, quod ita pronuncia- tum est, sententie auctoritatem non obvinet L. i. C. quando prov. non est necess.* Et hoc procedit, modo judicii rem jamjam judicatam esse excipiendo fuerit demoni stratum & ostensum, per ea quæ habet Brunneemann. *ad b. L. Vantius tit. de Nullit. sentent. ex defect. Proc. Pruckmann. Vol. 2. Consil. 24. n. 45. Mev. VII. dec. 207* n. 4. *Saccia de appellat. qu. n. n. 194.* Quid vero, si hæc sententia contra rem judicatam Nulla, confiniaretur in secunda appellacionis instantia? Respondetur & hanc nullam esse juxta Sacc. d. I. n. 195. quia prior laborat nullitate insanabili, quam' judex appellacionis

otq

par-

parte invita confirmare non potest. Nam quando prima sententia est nulla, secunda proprie non est confirmatoria, quia quod nullum, non confirmatur, sed in stat primæ habetur Gail. i. o. 127. n. 3. Dicas, sed nihil sicut judicatum, nihil exceptum de rejudicata, an priori, an posteriori sententia standum. Distingvendum est: aut scivit pars adversa, rem judicatam esse, sed non excipit, & ex Actis de priori sententia nihil appetet, tunc posteriori standum arbitramur, cum renunciasset videatur rei judicatæ, quæ hanc ob causam nullius momenti redditur, & recte retractatur, quod si verò judicatum ex actis appetet, tunc id attendendum Judici, quamvis exceptio Nullitatis non opponatur Pruckmann. Vol. 2. Conf. 24. n. 45. aut ignoravit: & tunc sententiam nullitatis adhuc arguere posse intra fatale crediderim, argumento instrumentorum noviter repertorum, que elapsa probatiois fatali adhiberi queunt, de quibus in conflictu pluribus dicturi sumus.

## S. XIV.

II. Ex sententia Nullitas insanabilis oritur, cum judex contra jus judiceret. Judicat autem contra jus vel expressum vel dubium. Expressum illud jus vel in thesi invertitur vel in hypothesis. Quando itaque contra jus in thesi, ut loqui amant Doctores, sive contra jus legis sive constitutionis sive directo contra legem judicat, nullitas committitur insanabilis, adeo ut sententia nullam judicati autoritatem nanciscatur, vel appellatione indigeat L. i. §. i. f. que sent. fin. appell. ubi exempla quando contra jus sive constitutiones judicatur

B 3 legi

legi possunt: addatur L. 2. ibi: nullas habere vires. C. quando prov. non est nec: L. 5. ibi: quod contra jus gestum firmitatem non tenere. C. eod. Eckold. Comm. ad ff. tit. que sent. fin. appell. ibique Schvvendendoerffer in notis Philippi Inst. de Offic. Jud. Ecloga 77. dictis obstat creditur L. 27. ff. de re judic. ubi videtur contra ipsum. jus pronunciatum & tamen sententia executioni mandatur, siquidem condemnatus ibidem quis fuit in certam quantitatem v. c. in 20. sub qua latere dicebat usurras usurarum; E. non expresse condemnatus in usurras usurarum, cum subfuerit quaestio facti, num scilicet sub ista quantitate usuræ usurarum comprehendantur Wi-senbach p. 2. Disp. ff. 38. tb. 30. Schvvendendoerffer, ad Eckold, supra allegatum calum L. 27. de re jud. refert ad pronunciata, quæ sunt contra jus in hypothesi, hoc est, quando in certo casu fertur sententia, non attenta juris dispositione L. 1. §. 2. que sent. sine appell. Ea, quæ diximus de pronunciato contra jus expressum, exten-duntur quoque ad sententias contra jus Statutarium vel consuetudinem maximè notoriam latas. Textor in pr. Jud. p. 1. c. 12. n. 81. seqq. quia Consuetudo seu Statutum vim legis obtinet §. 9. J. d. j. N. G. & C. L. 32. ff. de LL. nec minus quam scripta lex in judicio attendenda Mev. II. Dec. 268. V. Dec. 149. VI. Dec. 30.

### §. XV.

Novam nobis (III) ex sententia Nullitatem In-sanabilem suppeditant ordinationes, quæ passim extant, processuales, quarum diversas collegit D. Martini in Comment. ad Proc. Elec. tit. 1. tit. 34. & tit. 38. suffici-at jam allegasse ordinationem processualem Saxo - Ise-nacen.

nacensem, qua Serenissimus Legislator ad amputandas litium prolixitates sapientissime ita Tit. 21. §. 18. constituit. Wenn jemand ein Urthel oder Decret ex capite Nullitatis und als nichtiglich gesprochen/ anfechten wolte/ soll er solches innerhalb Sächsischer Frist von Zeit solches publicirten Urthels oder Decrees thun/ und die Nullitäten anführen/ auch zugleich um Citation seine nullitäten zu deduciren und zu beweisen/ anzuchen. Es würde denn vorgewendet/ daß ein Urthel oder Decret aus falschen Gezeugniß und falschen Instrumenten ergangen/ denn solchen falso soll es bey der in gemeinen Rechten verstatteten dreysigjährigen Frist verbleiben. Ex quibus apparet sententiam ex falso testimonio sive falsis instrumentis latam NVLLITATEM continere INSANABILEM L. 23. ubi Brunnemann. n. s. ff. de re jud. L. 3. C. si ex falsis instrument. Evidem Donellus corruptionem testium requirit Lib. 27. cap. 7. communiter tamen sufficit falsitas vid. Brunnemann. ad L. 33. ff. de re jud. quod & probat textus ordinat. Isenacensis in verbis: Dass ein Urthel oder Decret aus falschen Gezeugniß &c. Idem & multo magis dicendum arbitror, si ex falsis instrumentis sententia lata t. r. C. si ex falsis instrument. modo iuxta Brunnemanni opinionem tria concurrent 1) quod ista falsa attestata sive Instrumenta sint producta, 2) quod adversarius sciens illis usus sit 3) quod judex fidem eorum secutus sit, ut patet ex L. 1. 2. & 3. C. d. t. Illud hic quare solet, an sententia ex falsis attestatis sive instrumentis lata, sit ipso jure nulla, an ope restitutionis, hoc

hoc ultimum affirmant Doctores ad tit. Cod. si ex falso instrument. Oddus de restitut. qu. 20. art. 4. quibus tamen accedendum non puto ob L. 2. C. si ex falso instrument. Ubi expresse dicitur, quod sententia ex instrumento falso lata, ex integro causa sit audienda, quæ pliraxis non nisi de iis usurpari solet judiciis, quæ ipso jure nulla sunt Carpz. p. 1. C. 15. def. 2. in fine Brunne-mann. ad L. 33. ff. de re jud. & d. L. 2. C. si ex falso Mev. III. Dec. 103. n. 4. & Dec. 104. cum cessante causa judicatum effectum non habeat. Tiraquell. cessante causa Lib. 5. n. 240. & hæc ratione sententia sufficiant.

## §. XVI.

Nunc quid de Nullitatibus ex aliis partibus Processus provenientibus dicendum sit, restat, Proces-sus autem est vel ordinarius, vel summarius, ordinarius absolvitur Personis Judicantibus, Litigantibus, & ipsa Processus forma.

## §. XVII.

Personæ Judicantes sunt vel Principales ut Judex, vel Accessoriæ, ut Actuarius. Ex Persona Judicantis principali, Judice scilicet, nullitas oritur insanabilis (I) si judicat ex defectu Jurisdictionis L. I. §. 1. quod quisq. jur. Judex enim est potissima pars basis & fundamen-tum judicij Baldus in rubr. C. de non compet. Jud. n. 2. ibique judicem Ducem & Imperatorem! vocat. Juris-dictio est vel ordinaria vel delegata, quando itaque ex defectu Jurisdictionis judicat sive ordinariæ sive dele-gata, sententia est ipso jure nulla, adeo, ut nec judica-tum ejus mereatur dici, qui jus dicendi non habuit L. I. §. fin. ff. ad Scđum Tertull. Cap. 31. X. de offic. & potest.

Judic-

judicis deleg. nec arbitrus quicquam statuere potest, nisi  
 de quo compromissum. L. 32. §. 15. & L. 50. ff. de recept.  
 arbitr. & nullitas hæc semper opponi potest Gail. 1. O.  
 42. n. 10. etiam in casu, quo Statutum nullitatem tollit,  
 vel à litigantibus conventum, quod de Nullitate non  
 sint dicturi Gail. c. 1. n. ult. etiamsi juramentum acces-  
 sisset Gail. c. 1. n. 14. Judex vero judicat ex defectu Juris-  
 dictionis, & incompetens sit (1) ratione rei seu causæ,  
 cum ille, qui merum imperium non habet, in criminis  
 vult cognoscere, cum tamen ille ea, quæ magis Im-  
 perii, quam Jurisdictionis sunt, facere non possit arg.  
 L. 26. pr. ad Municip. & de incolis, qui enim ad unum  
 destinatus, ad alterius officium se intromittere non de-  
 bet. L. 2. C. de Execut. (2) ratione loci, si extra territori-  
 um suum constitutus sententiam tulit, cum jurisdictione  
 personæ in loco, id est in territorio suo existenti, in-  
 hæreat. L. 3 ff. de offic. Presid. (3) ratione temporis, si tulit  
 sententiam, quo jam finierat Magistratus; eo enim  
 tempore, quo jam privatus est, nihil quicquam facere  
 potest L. 14. C. de Jurisd. omn. Jud. Sed incidit hic quæ-  
 stio, si ex forma Satuti Judices essent ad certam cau-  
 sam, puta pupillorum dati, an talis Judex per proro-  
 gationem partium expressam vel tacitam alterius spe-  
 ciei Jurisdictionis, in qua Judex ille nullam unquam ha-  
 buit Jurisdictionem, audire & cognoscere queat? &  
 respondetur, Prorogationem tantum fieri posse de spe-  
 cie ad speciem ejusdem, non autem diversæ causæ, &  
 nullius Jurisdictionis prorogatio ad aliquem est impos-  
 sibilis. L. si quis ex consensu C. de Episcop. & Cle-  
 ric.

II. Nullitas quoque oritur insanabilis à Persona  
judicante principali ex inhabilitate, quæ duplex est  
Struv. exerc. IX. tb. X. VEL GENERALIS, quæ est, quando  
judex vel Natura, vel Lege vel Moribus est inhabili-  
lis L. 12. §. 2. ff. de Jud. Natura sit iudex inhabilis, si  
est impubes L. 2. §. 1. ff. de R. J. FVRIOSVS L. 1. §. 2. ff.  
de admin. & per. tut. furiosus enim & infans in jure  
comparantur & neuter, quid faciendum vel omitten-  
dum sit, intelligit. MVTVS, quia loqui non potest,  
Judicis enim officium est cognoscere & pronunciare L.  
12. §. 2. ff. de sentent. & interl. SVRDVS. L. 12. §. 2. de re jud.  
COECVS, multa enim pertractantur in judicio, quae  
requirunt inspectionem ocularem, sed hic certo re-  
spectu admittitur vid. Struv. exerc. IX. tb. X. Lege  
prohibentur & inhabiles sunt Judges, Excommunicati  
Cap. 24. X. de re jud. his aequiparantur Banniti &  
publicè proscripti n. feud. 8. & omnia, quae statuta  
sunt contra excommunicatos, locum quoque regula-  
riter habent adversus publicè Proscriptos & Bannitos  
nostrí temporis Coler. ad cap. 7. X. de jud. n. 9. Judaei &  
Hæretici L. ult. C. de Jud. & L. pen. C. de Haret. omnes-  
que infames arg. L. 2. C. de dignit. Moribus inhabiles  
sunt Judges Mulieres L. 2. pr. ff. de R. J. L. 12. §. 2. de Ju-  
du. Mulierum enim maxima est inconstancia, levitas  
& fragilitas. L. un. C. de rapt. Virg. Servi L. 12. §. 2. de  
Judic. hi enim pro nullis reputantur L. 32. ff. de R. J.  
plura vid. apud Dñ. Martini ad Proc. SAX. tit. I. §. 1. n. 11. sqq.  
Zanger. de Except. p. 2. cap. IV. Vel specialis inhabi-  
litas Struv. c. l. Tb. XI. de qua inferius, nunc ad Per-  
sonas Litigantes.

§. XIX.

Personæ litigantes sunt vel Principales, ut Actor & Reus; vel Accessoriæ, quæ duplicitis generis, vel enim nomine proprio & ratione sui interesse accedunt, ut tertius interveniens, vel alieno nomine ut Procuratores, Curatores *Schovendendoerffer ad Fibig. cap. II. §. 6.* & circa has omnes personas nullitas occurrit insanabilis, ob defectū legitimationis. Hic autem defectus legitimationis in personis suo & alieno nomine comparētib⁹ oritur, (l.) ex fragilitate judicij & intellectus à natura proveniente, ut in infante, qui minor septennio, hic enim præsumptione juris non habet intellectum, & quid videt, ignorat. *L. fin. C. de falso mon.* multo minus hic pro alio stare in judicio potest, cum ibi disceptatur, & quasi inter litigantes in judicio contrahitur. *L. 3. ff. de pecun.* Idem quod de infante, dicitur quoque de furioso & mente captivo, qui ob similem defectum à natura, vel casu provenientem, infanti quoad intellectus & judicij capacitatem æquiparantur, & pari passu ambulant. *§. 10. J. de inutil. Stipul.* hi semper absque illorum Curatoribus pro absentibus reputantur *L. diem C. de arbitrio. L. 2. ff. de jur. Codicill.* item mutus & surdus, latius de hac re vid. *Vantius de Nullit. Sentent. cap. ex Inabilit. seu defect. mandati.* Ratione defectus personæ & potestatis in judicio agendi nullitas insurgit insanabilis jure Romano in Servo, qui nec pro se nec pro alio agere potest, *L. 2. ff. de Orig. Jur.* & pro mortuo talis reputatur *L. 209. ff. d. R. J.* His quoque accedit Bannitus, qui planè agere nequit, & adeo incapax & insanabilis est, ut sententia in foro bannientis in ejus favorem lata

pro nulla ipso jure habeatur, nec opus aliqua contra-  
eam exceptione. Vantius de Nullit. Sent. tit. de defect.  
& inhab. mandat. Gail. i. O. 1. n. 38. ff. Bannitus enim  
pro hoste Imperii habetur. L. 5. ff. de Cap. dem. In-  
persona alieno nomine in judicio comparente insuper  
nullitas oritur insanabilis ob defectum mandati, ex ho-  
rum enim legitimatione tunc judicium substantiatur, &  
defectus mandati incurabilem post se trahit nullitatem,  
Mev. p. 11. Déc. 112. & Judicium, quod cum falso Procu-  
ratore, id est, se non debito modo legitimato, actum,  
est nullum Meischner, tom. 1. Dec. Cam. lib. 1. Dec. 22.  
nec gravius contra ordinem substancialem judiciorum  
peccari poterit, quam omissa legitimatione. Mev. 11.  
dec. 126 his accedit ord. Cur. Proc. Jenens. de anno 1653.  
cap. 11. §. sonst sollen die Partheyen vers. und ob defec-  
tum vel vitium mandati nicht nulliter verfahren werde  
& Ord. Proc. Brand. Magd. cap. 12. §. 3. versl. Gestalt auch  
dasjenige was in eines andern Nahmen ohne Mandat  
ein- oder vor bracht/ als ipso jure null gehalten wer-  
den.

## §. XX.

Visis Personis Judicantibus & Litigantibus, nunc  
ad Formam Processus, quæ vel in Substantialibus vel  
Accidentalibus consistit, progredimur. Substantialia  
Processus sunt, quæ jure Gentium adesse, nec in summa-  
rio Processu omitti possunt. Carpz. in proc. tit. 1. art. 1.  
n. 23. & lib. VI. resp. 122. n. 5. & si hæc scire speciatim  
cupias, secundum communem Doctorum opinionem  
& ordinationes Processuales sunt sequentia. Libellus,  
Citatio, Litis contestatio, Probatio & Sententia. Hæc in  
pro.

processu formando omitti non possunt. Substantiale enim illud rei officia dicitur, sine quo res iusta esse non potest, & si unum de his omissis, corruit Processus, & nullitas ex surgit insanabilis, de his autem singulis ordine pauca.

## §. XXI.

Horum Substantialium Primum est *Libellus*, qui Judicij fundamentum, ad quod omnes actus Litis contestatio, Probatio & Sententia referuntur, *Scacc. de jud. caus. civil. cap. V. n. 25.* & Processum ut truncus arboris regit. *Carpz. in proc. tit. XVL art. IV. n. fin.* & adeo necessarius est, ut iudex eum in sententionando attendere debeat, & quod ultra libelli metas à judice judicatum, nullum est, nec ultra petita vagari ipsi licet. *L. 18.* ut fundus ff. comm. divid. & ad causæ cognitionem spe-  
ciat, ut reus ad intentatam actoris actionem responde-  
re queat, & deficiente libello, consequens est, ut desi-  
ciat responsio, & sic nulla causæ cognitio esse poterit.  
*Antb. Offeratur C. de lit. Contes.* Libellus autem est vel solennis vel minus solennis. Hinc queritur: an semper in Processibus substantiandis opus sit solenni libelli oblatione? & respondetur, in causis summarioribus non semper opus est libelli oblatione solennis, sed tan-  
tum in ordinariis, in summarioribus enim aliqualis facti narratio & petitio sufficit, si modo reus, ex ea collige-  
re possit an contendere ait cedere velit, *L. 1. pr. ff. de edend.* nec haec partium consensu omitti potest, cum sit iuris Gentium, & haec neglecta nullitas oritur insanabilis. *Rol. à Vall. Consil. 71. n. 37.*

## C 3. 1. 1. S. XXII.

Oblato & proposito ab Actore Judici libello, tunc  
Judici incumbit, ut ad secundum Processus Substantias  
le properet, quod est *Citatio*, quæ fit vel in Scriptis, vel  
ore tenus per nuncium juratum, & omnium primum  
decerni deberet, *Ord. Proc. Sax. tit. IV. pr.* Aldieweil die  
Citation das erste fundamental Etat des Processus ist  
& §. ult. *J. de pœn. tem. litig.* omne judicium ab ea parte  
editi, qua Praetor editi, de in jus vocando incipere debet.  
Ex allegatis textibus constare videtur, Judicium incipe-  
re a citatione, imo in *Lun. C. de lit. Contest. a litis conter-  
statione.* Sed distinguitur inter diversam acceptiōem  
Judicij, & sumitur Judicium vel pro toto litis tractu us-  
que ad executionem, vel pro actu, qui apud Iudicem  
expeditur, & si hoc in sensu est principium, non verò  
in priori sensu. Citatio autem necessaria est, ut omis-  
ti nequeat, quia contra in auditum non ferri debet sen-  
tentia, quod sane fieret, si pars adversa ad allegandam  
suam innocentiam non citaretur, & citatio est species  
faciens ad defensionem de jure naturali, quæ partibus  
hand auferenda. Ummius *Proc. Jud. disput. V. n. 24.*  
nec per Imperatorem vel Statutum aliquod.  
Mynsing. *VI. O. 6. n. 2.* nec in summario processu qui-  
dem. *Ord. Proc. Sax. Gotb. p. 2. C. 1. §. 2. vers.* In die-  
sen und dergleichen Sachen sollen die Parteien so wohl  
als bey den ordinar Proceszen durch geschworene und an-  
dere beglaubite Gerichts-Diener citaret und fürgefördert  
werden. Et omnis actus contra non citatum judi-  
ciarius est ipso jure nullus Gail. *n. O. 48. n. 1. C. 2.* imo si  
reus in judicio præsens, & non citatus, non tenetur in-  
vitatus

vitus ad intentionem actoris respondere. *Carpz.* p. 1.  
*C. 2. d. 27. n. 1.* Dicta autem de Citationis necessitate  
 quodam modo limitanda & restringenda sunt, nam in  
 progressu Processus, praeferim summarii, salva ejus  
 processus substantia, veluti si in causa naufragii, que  
 absque omni dubio est summaria, testes sint examinan-  
 di, necessarium non est inquit Zanger. *Cap. 2. p. 1.* ut litigantes ad hoc citentur.

## §. XXIII.

Tertium Processus substantiale est *Litis contestatio*, alias lapis angularis, basis & fundamentum totius Processus dicta, super qua omnes actus futuri Proces-  
 sus sunt exstruendi, haec est vel solennis vel minus so-  
 lennis, & ea adeo necessaria, in tantum, ut ea omissa o-  
 mnia acta reddantur nulla, & totus Processus corruat.  
*Cap. un. X. de Lit. contest.* ibi; *Quia tamen Litis conte-*  
*stationem non invenimus esse factam, cum non per pos-*  
*tiones & responsiones ad eas, sed per petitionem in jure*  
*propositam & responsionem fecutam contestatio litis fiat*  
*processum ipsorum de fratribus nostrorum Consilio irritum*  
*duximus nunciandum.* Frustra enim verba miscentur, u-  
 bi Status controversiae ignoratur, qui ex Litis contesta-  
 tione quarendus, nec partium Consensu omittit vel  
 ipse renunciari potest Nicolai in *Proc. part. 1. Cap. 37.*  
*n. 8.* quod tamen tantum de minus solenni intelligen-  
 dum est, solenni enim litis contestationi renunciari  
 potest, quia partibus liberum est, ex processu ordina-  
 rio summarium facere utriusque consensu Stryck. in  
*Introd. ad prax. for. cap. I. §. XXI.* & per consequens  
 quoque liberum ex solenni litis contestatione aliqualem.

Iem facere responcionem, Carpz. in proc. tit. X. art. n.  
n. 21. præsertim cum in summiis adversæ partis con-  
tradiccio habeatur pro litis contestatione, modo inde  
constare queat, quid affirmatum vel negatum fuerit.  
Et in Processu Executivo recognitio instrumenti pro-  
ducti vel ejus jurata dissessio pro litis contestatione ha-  
betur, Colerus de Processu Execut. p. 3. c. 1. n. 97.

## §. XXIV.

Quatum Processus Substantiale est Probatio, quæ  
adeo in causis decidendis necessaria, ut tota in ea cau-  
sa vis & potestas consistat. Masquard de Prob. Vol. I. qu. 1.  
n. 1.2. quoniam per negationem rei ad intentatam acto-  
ris actionem, res facta est dubia L. 3. C. quib. ad libertat.  
proclam. non licet. & sic Iudex, cui nihil constat, nihil de-  
cernere potest, ideo in nullo Processu omitti potest.  
Clement. 2. de V. S. ibi: Non sicut tamen judex item abbre-  
viat, quin Probationes & legitime defensiones admittan-  
tur. Nec judex illud exequi valet, nisi actor id, quod  
petuit probaverit. L. 4. C. de edendo ibi: qui accusare  
volunt, probationes habere debent. His dictis etiam  
concordat Ord. Jud. Elect. Brand. Magdeb. cap. 18. §. 5.  
vers. Doch das ordo juris naturæ substancialis, die Rla-  
ge/Citation, Antwort/Beweis und Gegenbeweis pu-  
blication und cognition vor der definitiv sentenz besbs-  
achtet werde. Nec Papa quidem potest condemnare  
ad debitum non probatum, ex quo esset contra jus na-  
turale vel Gentium, & naturalem eradicaret justitiam  
Alexander Consil. 2. lib. 2. & qui probare non potest, ju-  
re carere dicitur L. 10. §. 3. d. edend.

## §. XXV.

not

55, (25) 50  
§. XXV.

Rei controversia circumstantiis à Judice bene consideratis ordineque Processus hactenus observato tandem devenitur ad ultimum Processus Substantialē; quod est *Sententia* & vel *Interlocutoria* vel *Definitiva* est. Illa fertur super puncto incidenti in causa principali hæc verò litio in judicio hactenus agitata finem facit, totamque controvèrsiam principalem determinat, & hæc adeo necessaria, ut omitti in ullo processu haud queat, priusquam enim sententia lata, res inter litigantes dubia, & nullus, nec actor, nec reus victoriam sibi promittere potest, insuperque, ne illites in infinitum durent, necesse est, ut super reliquias feratur sententia. Et hæc de Nullitatibus insanabilibus sufficient, nunc paucis ad Sanabiles progredimur.

§. XXVI.

NULLITAS SANABILIS pari modo ut Supra §. XII. dictum, ex Processu & ex Sententia lata, surgit, & hic circa Sanabilem Nullitatem differendi affert se campus amplissimus, sed paucis tantum de quovis Nullatum genere aliquid dicamus.

§. XXVII.

Ex sententia ipsa Nullitas Sanabilis exsurgit, cum aliquid de Solemnitatibus sententia formalibus est omnissum, & quidem (I) Sententia debet scribi charta & partibus à Judice alioque ejus vice fungente prælegenda, adeo, ut si judex ore tenus pronunciat, & post modum sententiam scribit, ex tali sententia lata nullitas sanabilis oriatur, etiam in causis sumimariis, quoniam & in his, ut omnis evitetur temeritas & præposteriorib

ratio, sententia in scriptis ferenda Clement. sepe de V.S.  
ibi Sententiam desigiti<sup>m</sup> am in scriptis s<sup>an</sup>s vel sedens  
preferat, h<sup>a</sup>c autem Nullitas sanatur per expressum  
partium consensum & voluntatem de remitenda hac  
solemnitate.

## S. XXVIII.

II. Ex sententia nullitas quadam oritur, si in lin-  
gu<sup>a</sup> non consueta concepta, & partibus p<sup>re</sup>lecta fue-  
rit; cum sententia est scribenda in ealingua, qua com-  
muni<sup>s</sup> & intelligibilis in eo loco, interque eos litigan-  
tes, in quo & contra quos profertur, ut in Saxonie,  
in Idiomate Germanico L. II. §. 4 ff. de insti<sup>t</sup>. act. ibi:  
literis urum Gracis an Latinis, puto secundum loci condi-  
tionem, ne quis causari possit ignorantiam literarum Holtz.  
in tit. de Sentent. inquit, quod si hoc de facto non servar-  
etur, de jure servari oportet, nec est admittenda vocabu-  
lari<sup>m</sup> latinarum cum germanis mixtura, sed quantum-  
ratione terminorum Processualium fieri potest, omnia  
verbis Germanicis vel idiomate alias proprio expri-  
menda sunt Carpz. in proc. tit. XVI. Art. II. n. 15. 16.

## S. XXIX.

Nullitas quoque quædam ex surgit (III) cum sen-  
tentia tempore incongruo feratur, & dicitur senten-  
tia incongruo tempore lata, (I) si fertur die feriato;  
et enim die omnes judicii strepitus cessare, & à negotiis  
judicialibus judicia vacare debent. L. 9. ff. de feriis. E  
dilat. & dicta jam tantum intelligenda sunt de feriis  
humanis, sententia enim die diuinarum feriarum lata  
est ipso iure nulla, & nullitas exinde surgit, insanabilis  
L. 7. G. de fer. & dilat, etiam si actor & reus in ejusmo-  
di

di sententiam latam consenserint. Schoepfer in Synops. jur. privat. ad tit. de feris & dilat. n. 9. nisi sit periculum in mora & summa necessitas hoc exigat. Illis vero, quæ dicuntur humanæ, renunciari potest, & sic hæc nullitas sanatur. Vel si fertur (2) tempore nocturno, sententia enim de die, non de nocte ferenda, hoc est, eo tempore, quo judex id, quod sibi incumbit ante tenebras perfidere queat, ille enim iuxta veritatis testimonium, qui male agit, odit lucem, ut sunt verba Innocentii III. Cap. 24. X. de offic. & potest Jud. deleg. & hæc nullitas consolidatur, si partes in tempus illud consenserint, vel de ea appellaverint. Et illa in hac Nullitatis specie dixisse sufficient, nunc ad Personas judicantes.

## §. XXX.

Ex Personis Judicium constituentibus, quæ erant vel Principales, de quibus dictum, vel minus Principales, de quibus jam dicendum, nullitas oritur Sanabilis, si in judicio Actuarius, qui alias pro variatione Judiciorum, Protonotarius, Secretarius, Judicij scriba ein Ges richts Schreiber dicitur, registraturam, vel aliud quip piam; quod ipsius officio incumbit, prius quam juravit, confecerit: magna enim requiritur in illis dexteritas, & interdum sunt frates nequitiae. Anton de Amat. Dec. 29. n. 30. & personæ ejusmodi ante jura menti præstationem in judicio nihil quicquam valide peragere queant, sed actus eorum annullantur nullique redundunt: quare in O. P. S. tit. 2. cautum, ut, cum à Ju dice reciperentur, judiciis jurent, auch darzu sonderlich geschworene Personen zu sezen/ hic autem si tamen ante juramenti præstationem aliquid peregerit, est quidem

D 2

nul.

§ (28) §

nullum, sed deinceps juramento super hac registratura  
confecta ab actuario praestito nullitas hæc salvatur.

§. XXXI.

In personis litigibus, in iis præsertim, qui a-  
lieno nomine in judicio comparent, nullitas haud po-  
strema oritur circa defectum mandati specialis, cum  
causam in judicio pertractare cupiunt, quæ speciale  
mandatum requirit, in eorum autem mandato haud ex-  
pressa reperitur, ita simpliciter non valebit recogni-  
tio instrumenti mandatarii speciali mandato haud in-  
strucci, cum in hac causa hoc maxime requiritur, quare  
Lipsiensis Scabinatus in causa J. N. contra M. R. ita pro-  
nunciavit, cujus responsi verba opponere liceat.  
Habt ihr N. N. wegen einer sittigen Wiesen in Anspruch  
genommen und gerechtlichen belanget/ worauf als euch  
der Beweis zuerkant/ und ihr denselben mit brieflichen  
Urkunden führen wollen/ habt ihr auch unter andern im  
instrument eines gewissen Vergleiches von Bell. gesor-  
dert/ und daß solches von ihm edictum und recognoscitur  
werden möchte/ begehrst/ dessen er sich aber anfänglich  
geweigert. Ob nun wohl dessen mandatarius sich er-  
flähret/ das selbe pro edito & recognito zu halten/ und  
ihr dannenhero nunmehr darauf zu fussen/ und eure Noth-  
durft daraus zu erweisen/ und bezubringen vernichtet.  
Dieweil aber dennoch euren eigenen Bericht nach be-  
meldter Mandatarius, weder ad edendum, noch recognos-  
cendum ein sonderbares und speciale mandatum vor-  
zulegen gehabt/ welches doch zu rechte nothig gewesen/  
so habt ihr euch nunmehr darauf nicht zu gründen/ noch  
euer Recht dadurch zuf erweisen. Nullitas hæc sanatur  
per

per ratificationem sive expressam sive tacitam, quia  
subsequens mandatum plenius ratificationem eam a-  
ctorum continet. arg. L. 12. §. 1. ff. rem rat. bab. & Do-  
minus Procuratoris sive mandatarii sui acta anteriora  
non revocat, sed illum denio rectius constituendo ap-  
probat. L. 5. ff. rem rat. bab.

## §. XXXII.

Nullitas quoque quædam insurgit in Tutoris vel  
Curatoris actore, qui auctorum quidem habet, sed tu-  
torium sive Curatorium ipsi deficit. Carpz. lib. III. resp.  
VIII. n. 11. ante omnia autem de Curatoris potestate  
constituendi auctorem constare debet, quod sit per exhi-  
bitionem tutorii vel curatōrii, nullitatē autem hanc  
deficientis Curatōrii sanari posse per cautionem rati-  
putat Berlīch. p. 1. Conch. 14. n. 58. Idem obtinet in  
Syndicis, qui mandatum, quod in accidentalibus man-  
cum, producunt. L. 6. §. 3. ff. quod quisque universi  
quod per cautionem suppleri potest. d. L. 6. quoniam  
universitatis pariter, ac partium lites ad finem perduce-  
re interest, Weesenb. in partiti. ad ff. de Procur. n. 6.

## §. XXXIII.

Ex Processu ipso denique Nullitas oritur sagabilis,  
cum aliquid de Processus formalibus est omissum, vel  
neglectum, hoc autem varie accidere potest, de qui-  
bus tantum duo allegare volumus (1) si iudex post con-  
clusionem a partibus factam aliquid novi necessitate  
haud urgente a partibus ad acta admiserit; interest  
enim litigantium, ne lites in infinitum protrahantur,  
ipsis finem imponere, quare si positiones ipsis in jure  
permissas ad acta addiderint, & nihil, quod ulterius ad-

D 3

de-

dere queant, habent, in causa concludant, & sententiæ se submittant, necesse est, quo nunc ipsis manus quasi ligantur, & os clauditūr, nec de actis amplius aliquid de trahere vel addere valent, sed sententia secundum ea, quæ deducta & probata sunt, ferenda est. *Cap. 9. X. de fid. instrum.* quare, si judex post Conclusionem aliquid novi ad acta addiderit, quod tamen necesse non erat, non attenditur, sed nullius momenti est, & in sententijando haud attenditur, & super hoc in Processu nullitas oritur, quæ tamen per remotionem hujus scripti ab actis vel per ratificationem partium sanatur.

## §. XXXIV.

Ex Citatione (II) oritur Nullitas sanabilis, si Cittatio quidem emissa, sed adeo nimis coarctata, ut terminum contineat haud legalem, sola enim Cittatio non sufficit, sed ut sit legitima & peremptoria. *Carpz. in proc. tit. VII. Art. i. n. 18.* & terminum legalem in se contineat, requiritur. *Ord. Proc. Jud. Elect. Sax. tit. 4. pr. vers.* und damit der Cittatus &c. auch darneben einen rechten legalem terminum seine Nothdurft zu bedencken haben möge. Per terminum autem legalem intelligitur in Saxonia terminus Saxonius, qui est sex septimanarum & trium dierum *Ord. Proc. Jud. Elect. Sax. tit. X. vers.* Jedoch daß man &c. verb. daß ihm die Citation gebührlich insinuaret/und er von Zeit solcher insinuation die vollkommenen Sächsische Frist/ als sechs Wochen und drey Tage gehabt habe/ qui terminus adeo est observandus, alias inde nullitas ex surgit, quæ tamen sanari potest.

## §. XXXV.

Restat, ut pauca, quibus in causis de Nullitate queri possit, dicamus. Sane omnis, qui sententia gravatus, appellare, is & querelam Nullitatis interponere potest Ord. Cur. Provinc. Jenensi. cap. 36. §. 1. verb. Wo jemand ein gesprochen Urtheil. Vant. de Nullit. tit. qui dic. de Nullit. n. 1. cum ut supra diximus, sit commune auxilium, licet ut plurimum miserorum dicitur refugium, quod nemini denegandum, adeo, ut etiam tertius pro suo interesse de Nullitate queri possit L. 5. L. 14. ff. de appell. Straub. dissert. Justin. 27. apb. 2. Nec distinctionem affingendam esse, reor, an causa sit Civilis, an Criminalis, de qua sententia lata est. Mynsing. Cent. 4. observ. 42. Blum. in Proc. Cam. tit. 56. n. 22. item, an causa sit ordinaria, an summaria. Hinc est, quod Nullitatis querela in causis, ut dicantur, Ecclesiasticis aliisve, quae coram Consistoriis ventilatae & decisae sunt, admittatur Brunnemann. d. Jur. Eccl. lib. 3. cap. 10. §. 23. Quare hic potest: An remedium Nullitatis contra sententiam in possessorio summarissimo latam competit? Negat Hiltrop. in proc. jud. p. 1. tit. 4. n. 89. motus forte hac ratione, quia sententie in summarissimo latæ sunt in appellabiles, Appellatio vero est nomen generale. Regin. de appell. post. pref. tit. de appell. n. 2. fol. n. & sub se comprehendit Nullitatem tanquam speciem. Stacc. de Appell. qn. 19. Rem. 1. Concl. 2. n. 12. Remoto autem genere, removetur necessario ejus species Everh. de Loc. arg. in loc. à gen. ad spec. n. 1. Ergo prohibita appellatione, prohibetur & nullitas, sed contrarium verius. Appellatio equidem est genus quoddam æquius.

vo-

vocum, quod potest sumi in genere, & hactenus continet nullitatem, sumitur tamen etiam in specie, prout continet solam appellationem. Sed in odiois verba sunt stricte, & potius in specie, quam generaliter accipienda. Nunc vero prohibitio appellationis est odiosa, ergo extendi non debet ad dictiōnē Nullitatis. Secc. d. l. si vero Hiltpius Nullitatem intelligat, quatenus appellationi est accessoria, tunc ejus argumentum concedi potest, fallit tamen in Nullitate, quæ proponitur per se & principaliter Vant. de Nullit. tit. quis dic. possit de Nullit. n. 30.

## S. XXXVI.

Circumscribitur facultas de Nullitate conquerendi triginta annis de jure communī pr. f. de perpet. temp. act. L. 3. C. de prescript. 30. ann. Baldus in L. data opera II. C. qui accus. non poss. n. 59. Maranta in spec. p. 6. de Sent. n. 104. Gail. I. O. 127. n. 8. Carpz. lib. II. resp. 150. n. 2. Rationem addunt, quia officium Judicis nobile, ex quo querela nullitatis proponitur per triginta annos duret. Brunnemann. in Proc. Civil. cap. 28. n. 108. quam sententiam communem & in Camera Imperiali receptam vocat Gail. I. O. 127. n. 8. non quod ita jure Romano constitutum, sed ex usu fori receptum fuerit, ac interpretibus juris ita placuerit. Textor in proc. Jud. p. I. c. 12. n. 94. Quamvis non improbabilis earum videatur sententia, qui existimant, nullitatis querelam per tot annos durare, quot durat ipsa actio Strauch. Diff. Justin. 27. apb. 3. Quod etiam in criminalibus procedit. Nam terminus ordinarius mebboup suneg sja mebboup ommib[us] ab illis rix

-oy

riæ præscriptionis criminum in jure 20. annorum dicitur. Lauterbach. *dissert. de prescript. Crim.* Ergo querela nullitatis regulariter ultra 20 annos non videatur posse extendi. Schilter *Exerc. 49. in append. circa finem.* Statuimus itaque, tam diu durare querelam nullitatis, quamdiu duret cuiuslibet causæ actio. Carpz. p. 1. C. 26. def. 21. n. 10. Brunnemann. *Proc. Civil. cap. 28. n. 108.*

## §. XXXVII.

Hoc autem procedit, quando vel lege Provinciali vel statuto non alias ad deducendas nullitates constitutus est terminus. Scacc. *de appell. qu. 19. concl. 7.* n. 5. Schvvendend. *ad Fibig. proc. c. 2. p. m. 014. n. 2.* Berlich. d. l. sic in Novissimo Imperii Recessu placuit in Nullitate Sanabili, ut ea intra decendum à lata sententia ad Exemplum Appellationis intentetur, & si iniqua sit & injusta, postquam si intra decem dies non appellatur, illa non attenditur, nec ad Cameram Imperialem causam devolvit, sed in rem judicatam transit sententia *Rec. Imp. de anno 1654. §. 121. Mev. p. 1. Dec. 100. concordat Praxis Magdeburgica jur. ord. jud. nov. cap. 44. §. 1.* Wenn ein gesprochenes Urtheil oder Abschied als null und Kraftlos principaliter per modum actionis angefochten wird/ soll das selbe binnen 10. Tagen nach Eröffnung des Urtheils anzurechnen/ anbracht &c. Nec immerito in aliis inferioribus Statuum Imperii Judicii servatur, quando hujusmodi Nullitas ad superiorius Tribunal devolvi debet. vid. Martini *Comment. tit. 38. n. 19.* ubi præjudicium Wittenbergense addit: Der Materialien halber erscheinet aus den Acten und der

Partheye Einbringen so viel/ daß gestalten Sachen nach/  
und weil wider die am 20. Dec. anno 1686. und den 3.  
Jan. 1687. gegebene Bescheide die nullitatem hinnen o. Taz  
gen nach Anleitung des Reichs Abschieds de anno 1684.  
§. 121. nicht urgiret worden/ in erster Instanz wohl ge-  
sprochen/ und übel appellirt/ derowegen &c.

## §. XXXVIII.

Nullitati vero Insanabili juxta communem Dd.  
sententiam 30 demum annis præscribi quidam arbit-  
trantur per Rec. Imp. de anno 1654. §. 121. sed disposi-  
tioni juris communis in sequenti §. 122. rem relinquit,  
quod, quomodo se habeat, jamjam fuit dictum.

## §. XXXIX.

Hoc queritur, an omnia Nullitatum Insanabili-  
um genera præscriptioni tricennariæ subjaceant? Quod  
Dd. communiter affirmant, distinguit citatus Dn. Ber-  
gerus, cuius ipissima verba hic legisse non pœnitabit.  
*Mibi, inquit, constituta graduum differentia esse videtur,*  
*ut si verbis tantisper ludere liceat, Nullitatum aliae omni-*  
*no & simpliciter, aliae secundum quid & certo modo insa-*  
*nabiles esse videantur. Absolute insanabilis procul dubio*  
*est, quo ex defectu mandati vel citationis oritur, ut omni-*  
*no existinem, ejusmodi nullitati nullo tempore, ne mille*  
*quidem annis præscribi posse: quo respicit ordinatio re-*  
*cognita verbis, que predixi. Nolo hic latius evagari, sus-*  
*ficerit, in partes vocare Merium, qui sententiam, ex viito*  
*neglecti compromissi nullam in rem judicatam unquam*  
*transire, negat, eandemque ita nullam esse pronunciat, ut*  
*nunquam convalescat, nisi à Judice competente deinceps*  
*fuerit confirmata. Dec. 100. quo argumento consequitur,*  
multo

multo minus ea, que ex defectu mandati aut Citationis e-  
 mergunt, nullitatis genera ullius temporis prescriptione re-  
 moveri posse, quamvis maximè is, qui non est citatus, aut  
 eius nomine alter sine mandato experitur, compererit, li-  
 tem contrasé institutam esse. Ceteroquin quod ad reli-  
 qua Nullatum Insanabilium genera, nolime a regula pra-  
 dictæ legi eximi, quum is vitiis gradus, qui in prioribus de-  
 prehenditur, in his non animadvertisatur, sed ejusmodi,  
 que corrigi queat. Quem in modum interpreter Rec.  
 Imp. de anno 1654 §. 121. seqq. verba: bey denen Nullitäts-  
 ten welche insaaibilem defictum aus der Person des  
 Richters oder der Parthen/ oder aus den Substantiali-  
 bus des Processus nach sich führen / verbleibet es bey der  
 disposition derer gemeinen Rechtesita ut speciatim ea oder  
 aus den substantialibus Processus non captanda, sed de a-  
 lis formæ vitiis, quam que ex defectu Citationis aut man-  
 dati dimanaunt, exaudienda esse putem. Id enim inter-  
 preti imprimis opera danda est, ut absurditas sensus evi-  
 tetur. Multo autem magis illis locis recipienda nostra in-  
 terpretatio videtur, quibus jure statutario arctior termi-  
 nus prescriptioni Nullitatis Insanabilis est constitutus, ve-  
 luti in Dicasteriis Pomeranicis & Cancellariis Megapolita-  
 na, Gustrovicensi & Brunsvicensi Luneburgico Hanovera-  
 na, Tribunali Vismariensi, sex hebdomade à momento pu-  
 blicata sententie, in regno Bohemie duo menses & in Ele-  
 toratu Saxonico terminus Saxonicus, quum alioqui per-  
 quam durum & asperum foret, cum, qui rite citatus non est,  
 itemque cuius nomine illegitimus Procurator comparuit,  
 deinceps amplius audiendum non esse. Ceterum, quid o-  
 lim ea de re senserit scabinatus Wittenbergensis, cognosci-  
 tur

tur ex ejusdem questione secunda. Ferner wielt zum 2. der  
 38. Titulus von der Nullitat in der Gerichts - Ordnung  
 wegen des daselbst gesetzten fatalis der 6. Wochen und  
 3. Tage in generale redet/ und daherwo es das Ansehen  
 gewinnen will/ ob sey solcher Textus auch also indefinito  
 zu interpretirent in feinerem Betrachte / der Serchiss.  
 Legislator abbreviandarum litium causa alle und jede  
 Nullitaten darunter habe begreiffen wollen/ gleichwohl  
 im Gegenthil billig in consideration zu ziehen/ dass so  
 thane Nullitaten/ so in Urtheilen begangen werden/ vie-  
 leley und von einander/ sonderlich quoad esse jus juris,  
 sehr unterschieden sind/ so laßet es sich billig zweifeln/  
 ob diese Constitutio dict. Tit. 38. von allen Arthen der  
 Nullitaten zu verstehen sey. Denn gleichwie außer allen  
 zweifel zu sezen/ daß dieselbe auf die Nullitat/ quo in  
 modo procedendi begangen wird/ sich gar wohl schicket/  
 und appliciren läßet; Also scheinet es hingegen hart zu  
 seyn/ wenn angeregte Verordnung/ von dem casu, quo  
 contra jus constitutum pronunciatum, als welchen fals  
 es keiner appellation von nothen/ und die sententia ipso  
 jure nulla ist L. 1. §. 2. ff. quo sent. fin. appell. resp. auch  
 selbige durch keine prescription confirmiret werden  
 mag L. se expressim 19. ff. de appell. oder wenn sonst eine Nul-  
 litas insanabilis, ut pot est facultate judicandi L. 1. C.  
 de ped. Jud. vel mandati entstehet/ ebennäßig angenom-  
 men werden solte. Allerdings nun ein gleichförmig ex-  
 empel anzuführen aus dem Carpzovio hin und wieder/  
 sonderlich Lib. 1. R. 35. n. 9. seqq. sattsam bekant/ daß die  
 beyden species præscriptionum Juris Saxonici die übri-  
 gen/ so in casibus specialibus de jure Civili eingeführet/  
 in

in unserm foro nicht aufheben/ so geben Eu. Churfürstl. Durchl. wie in Unterthänigkeit anheim/ auf was mass  
angeregter titulus 38. der Gerichts-Ordnung zu erklah-  
ren und einzuschrencken sey/ oder ob dieselben hierunter  
auf den Rec. Imperii de anno 1634 §. 122. seq. zu refle-  
ctiren gnädigst geruhet möchten. Huc usque Dn. Ber-  
gerus, ex quibus patet, jure nostro Saxonico arctio-  
rem ad deducendas nullitates etiam insanabiles termi-  
num præscriptum esse.

## §. XL.

Sunt enim in Electoratu Saxonico sex septimanæ  
& tres dies à tempore publicatae sententiæ connume-  
randi, intraque hoc temporis spatium nullitas propo-  
nenda erit Ord. P. S. tit. 38. vers. So ordnen und wol-  
len wir &c. Nec aliter in Ducatu Altenburgensi ord.  
Proc. p. 1. c. 16 §. 1. Wenn iemand ein Urthel ex Capite  
Nullitatis anfechten wolte/ soll er solches innerhalb Sächs.  
Frist von Zeit solches publicirten Urthels thun/ und die  
Nullitäten allegiren und anführen/ quibus responderet  
ord. Proc. ISEN. tit. 21. §. 18. Wenn iemand ein Urthel oder  
decret ex Capite Nullitatis und als nichtlich gesprochen/  
anfechten wolte/ soll er solches innerhalb Sächs. Frist von  
Zeit solchen publicirten Urthels oder Decretis thun.  
Idem obtinet in Curia, quæ Jenæ est, provinciali, ubi  
Nullitas proximo in termino justificari debet. Ord. CUR.  
Prov. JEN. cap. 36. Wo iemand ein gesprochen Urthel  
aus dem Grunde einer Kraftlosigkeit oder Nullität  
anfechten wolte/ soll solches auf das nextste Gerichte  
hernach gerechtsam fertiget/ und wo er sich davon versäumet/  
damit weiter nicht gehört werden.

E 3

§. XL.

Queritur: an terminus jure statutario nullitati ratione sententiarum constitutus pertineat quoque ad Decreta? quod à nonnullis negatur, ac querelæ nullitatis Decreti (cives Vescheides) regulariter triginta annis præscribi afferitur. Nam quæcunque ordinatio defecit à regula iuris communis, illa strictè est accipienda. Nunc vero ordinatio Electoralis Saxonica loquitur solum de sententia, ergo strictè accipienda, nec ad Decretum trahenda. Carpz. Proc. tit. 19. art. 3. n. 14. Zieg. ad ord. Process. tit. 38. p. m. 208. Nec defecit discriminis differentia, cum major pro sententia juris atque justitiae militet presumtio, quam pro decreto. Berger in Elekt. ad Proc. Sax. tit. 38. pag. 1029. Sed & hic disquireandum videtur, an everso decreto & sententia decreto innixa intra istud tempus corruat? quod affirmandum reor, cum in decretis non nisi præscriptio ordinaria obtineat. Ziegler ad Proc. Elect. Sax. tit. 38. nec id, quod ab initio nullum tractu temporis statim convalescit. In Foro tamen Saxonico Isenacensi hoc non procedit, postquam ibi Nullitates etiam adversus decreta intra tempus statutarium opponi oportet. vid. quæ supra ex dicta Ordin. I senae. retulimus. Dicas, quid obtinet, si nullitas evidens & ex actis notoria est? Respondetur, & tunc termino statutario standum perea, quæ habet Carpz. in proc. tit. 19. art. 3. n. 11.

## §. XLII.

Eodem modo quoque, ut Actio, ita Exceptio Nullitatis termino statutario aut à legibus præscripto est adstricta Hiltrop. ad Proc. Jud. p. 4. tit. 17. n. 13. Jus enim, quod per modum a gendi intra certum terminum vel tempus proponi debet, eo præterlapsò nec per modum actionis, nec exceptionis ulterius deduci potest. Mev. III. Dec. 333. L. 3. §. 6. de pecul. L. 8. C. de non num. pecun. nec quicquam huc facit Brunnemanni aliorumque ab ipso citatorum opinio Proc. Civil. cap. 28. n. 108. ubi exceptionem perpetuo opponi posse

se autumat per L. 5. § fin. de dol. mal. & met except. ubi dicitur: *Quae ad ad agendum sunt temporalia, ad excipiendum sunt perpetua;* sed ratio istius regulæ hæc est, & tantum intelligitur de Exceptionibus regularibus, quæ non aliter, quam per modum exceptionis, opponi possunt, & reus interpellationem aetoris expectare necesse habet, cum in potestate rei non sit, quo tempore litigio pulsetur, sed in potestate tantum aetoris, quando jure suo uti velit. Mev. III. Dec. 333, non vero ad eas exceptiones extenditur, ubi reo, an per modum actionis, an vero exceptionis experiri velit, liberum est, alias dispositio legis & statuti circumveniretur, & una via actionis, scilicet quod prohibitum esset, altera per exceptionem concederetur. Martini ad Ord. Proc. Sax. tit. 38 n. 46. & negligens caperer commodum & beneficium, cum tamen non negligentibus, sed impeditis, ejusmodi exceptiones subveniant. L. 16. ff. ex quib. caus. maj.

## §. XLIII.

Hoc autem adhuc queritur, an nullitas prioris sententia sive per modum actionis sive exceptionis intentetur, prioris sententia executionem impedire & retardare valeat? Et hic varie disputant Doctores. Berlich. p. i. concl. 6i. n. 11. seqq sed distingendum puto: an Nullitas sit evidens & ex actis notoria. Carpz. p. i. C. 26. d. 22. Berlich. c. l. an, vero altiorem requirat indaginem. Priori casu, si est notoria, utique attenditur, & executionem suspendit. Brunnem. ad L. 13. ff. de re jud. frustraneum enim est, intentare executionem, qua mox revocanda. Martini ad Ord. Proc. Sax. tit. 38. n. 52. Posteriori vero casu, si nullitas in continent probari nequit, sed dubia & adhuc obscura est, & altiorem requirit indaginem, executionem non suspendit. ord. Jud. Sax. Goth. p. i. C. 16. §. 8. vers. In übrigen soll durch solche Nullität die Hülfe auf das Urteil so seine Kraft erreicht / nicht aufgehalten werden/ es wäre denn/ daß derjenige/ si die nullität vorgewendet/ dieselbe innerhalb der Zeit/ welche zu der Hülfe bestimt/genugsam ausführen und darthun könnte/ in welchen Fall auch

auch die Hülffe eingestellet werden soll. add. Carpz. p. 1. C. 26.  
def. 22. n. 3. Schvvendend. ad Fibig. p. 1. Cap. membr. 3. §. 22.  
reg. 3.

## §. XLIV.

Quoad Nullitatem proponendam notandum, quod illa vel coram eodem Judice, vel coram superiori per modum appellationis aut simplicis querelæ deduci queat, Schvvend. ad Fibig. p. 1. cap. 2. memb. 3. §. 22. n. 436. & hoc fit vel Principaliter, vel Incidenter.

## §. XLV.

Principaliter Nullitas proponitur, quando illa vel sola absque appellatione, leuteratione aut alio remedio suspensivo aut devolutivo urgetur, vel cumulatur cum tali remedio principaliter. Martini in Proc. tit. 38. n. 41. §. 45. Incidenter vero, quando in ejusmodi remedio principaliter instituto ejus saltim obiter fit mentio, vel expresse, vel tacite, si refertur casus nullitatem continens, & judex illam ex officio attendere & super ea pronunciare debet, modo ipsi ex actis sit notoria & evidens. Sed hic queritur, si Appellatio fiat deserta, an Nullitas quoque corruit? & hic inter Nullitatem fit distinctio, an illa sit sanabilis, an insanabilis. Illo casu nullitas quoque deseritur, quoniam illa non aliter, quam per remedium suspensivum, introducitur, quo sublato, illa quoque corruit Rec. Imp. d. anno. 1654. §. 121. Blumius in Proc. Cam. tit. 56. n. 10. si vero est nullitas insanabilis, licet appellatio pro deserta habeatur, nullitas tamen haud corruit, quoniam appellationi & nullitati diversa tempora præscriptionis sunt constituta, & uno sublato remedio non statim alterum tollitur. Gail. 1. O. 135. n. 4. 5. Hiltrop. in Proc. Jud. p. 4. tit. 17. n. 20, sed adhuc super nullitate querilicet, etiam si appellationis beneficium sit amissum. Mev. 1. Dec. 154. Gail. 1. l. & deinceps principaliter jure communi intra terminum 30 annorum, jure vero statutario intra terminum ibi præfixum deduci potest, Mynsing. Cent. 4. Observ. 63. Hiltrop. c. l. n. 10.

Jena, Diss., 1711 (A(R))



56





XXXI 40.  
26  
1711,4

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
**DE NVLLITATE PROCES-**  
**SVS SANABILI ET INSA-**  
**NABILI,**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO

**DN. GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE, IVLÆ, CLIVIAE, MONTIVM  
ANGARIAE & WESTPHALIAE & reliq.  
EX DECRETO ET AVCTORATE ILLVSTRIS HVIVS  
JENENSIS FACVLTATIS IVRIDICÆ

P R A E S I D E

**GVIL. HIERON. BRVCKNERO** ICTO  
CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM PROFESSORE PUBLI-  
CO, CVRIÆ PROVINCIALIS, FACVLTATIS IVRIDICÆ  
ET SCABINATVS ASSESSORE,

**PRO LICENTIA**

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI

IN AVDITORIO IVRIDICO

horis ante & post meridiem consuetis Eruditorum disquisitioni submittit  
Die Martii MDCC XI.

**JOHANN. HENRICVS Hartleb/**  
Utleb. Advocat. Reg. Elric. ord.

---

JENAE LITERIS MULLERIANIS.

